



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

13. Festum omnium Sanctorum ex ordine S. P. Benedicti

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

norum nostrorum, præsertim eorum, quorum Nomina in S. Baptismo, & die S. Professionis accepimus. Horum festa quoties redeunt per annum, integram pietatis instituamus, atque gratitudinis octavam, attribuendô cuilibet diei speciale aut humilitatis, aut abstinentiæ, aut alterius austeritatis opus. Hæc tamen fiant cum præscitu Reverendi Patris spiritualis, ne vanæ & propriæ imputetur voluntati. Tali cultu, & devotione quis mori timeat?

**Festum omnium Sanctorum ex  
SS. Ordine Magni Patris Benedicti.**

**EXHORTATIUNCULA I.**

**Q**uanta Confratrum nostrorum in  
coelis est gloria! Sed unde? Nonne  
quia magna egerunt, & fortiora susti-  
nuerunt pro Christo in terris? Ad parem,  
mi fili! triumphum invitamur; at non  
sine pugna, non sine certamine, & luctâ.  
Spes mercedis sudorem abstergit opera-  
rio, & Dei, ac Sanctorum memoria æ-  
rumnis, aliisque conflictationibus non  
eruat amatorem? Ubi amatur, ibi non  
labo-

XIII. Novembr. Sanctorum Benedictin. 629  
laboratur. Amor nomen difficultatis  
erubescit.

*Instructio meritoria.*

Sancti volunt honorari. Fiat! gratulemur ergo toti Familiae Benedictinae in caelis hodie triumphanti, & ut suum Beatorum augeat numerum, Litanias de omnibus Sanctis tam dilecti Deo Ordinis recitemus ex libello Trithemii. Si non habeatur, substituantur Litaniae majores. Apertum est coelum, ut preces suscipiat humilium. Optamus de inimicis victoriam? Viribus haud obtinebimus. Hostis noster est spiritus, tot victoriis clarus: oremus! Triumphabimus.

II.

CUM sancto sanctus eris. Fili dilecte! Sumus inter tot, & verè innumeros Sanctos. Sanctitatis tamen nomen adhuc ignotum nobis. Vera sanctitas tribus absolvitur. *Abstine, sustine, aggredere.* Abstineamus à noxiis: Sustineamus mala vitae praesentis. Aggrediamur generosè acta, & opera Christianae virtutis. Quàm brevis via ad gloriam sanctitatis. Durior sanè est impietatis.

D d 3

In-

*Instructio meritoria.*

Velle sanctitatem, jam sanctitatis initium est. Exercitia pietatis nostræ quotidiana hodie tam accuratè, & fervidè peragamus, quasi forent ultima, & ipsa sanctitatis complementa. Pro felici eorum successu implorabimus antecedenter semper assistentiam Spiritûs sancti per hymnum : *Veni S. Spiritus cum tribus Ave* ad SSS. Trinitatem pro illuminando intellectum, accendendo voluntatem, & roborando memoriam.

## III.

**F**Rustra speramus, nos fore sanctos, nisi & Sanctorum sequamur relicta virtutis exempla. Non sufficit, eandem cum tanto sanctorum numero profiteri S. Regulam, & Religionem, portare habitum & coronam, nisi & eandem colamus virtutem. *Nihil nobis prodest, quòd lex est bona, si vita nostra, & conversatio non est bona.*

*Instructio meritoria.*

Discamus proin ab uno dilectissimorum SS. Confratrum humilitatem : Ab alio patientiam : Ab illo silentium, ab hoc

hoc mansuetudinem, & misericordiam:  
 Renovationem S. Professionis hodiernæ  
 Sacramentali Communioni subjunga-  
 mus, rogitantes à Deo Eucharistico: *Je-  
 su! da nobis duplicem spiritum: Spi-  
 ritum tuum, & spiritum magnum Benedi-  
 cti, ac filiorum ejus. Te Deum Lauda-  
 mus.* Et quia cras celebrabitur comme-  
 moratio omnium defunctorum fratrum,  
 & sororum Sacri Ordinis Benedictini,  
 per octo dies recitemus quotidie Vesperas  
 ex Officio defunctorum. Vera dilectio  
 superos, & inferos lustrat benefa-  
 ciendò.

Festum Beatissimi Stanislai  
 Kostkæ è Societate Jesu Juvenis An-  
 gelici, Innocentiæ speculi.

EXHORTATIUNCULA I.

**I**nnocentiam amat Maria. Hæc &  
 innocentem parvulum, suum Stanis-  
 laum ad inclytam vocavit societatem,  
 ubi assiduò poenitentiae, & mortificatio-  
 nis exercitiò illibatam conservavit puri-  
 tatem. Pietas, mundi contemptus, &